



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Argvmentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

# HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER VIGESIMVS.

## ARGVM ENTVM.

**C**ÆSAR Oenipontem venit. Commendonus à Legatis ad eum missus; & quid inde referat. Articuli de Matrimonio Theologis traditi. Orta inter eos lis de prærogativa ex titulo Nationum; & quo pacto composita. Litteræ Galliae Regis ad Concilium. Pungens Oratio Fererij, dum litteras Conuentui tradit; & Synodi responsum Regi redditum. Egri monia Lotharingi ac Madruccij. Vtiusque ad Cæsarem accessus. Quæ ibi Lotharingus egerit, eiusque reditus. Consilium à Cæsare habitum cum Varijs Theologis de duodecim articulis. Aduentus Tridentum Mantuanii Ducis, ad Ferdinandum pergentis. Mors primi Legati, qui Ferdinandi Ducis patruus erat. Vita Cardinalis demortui breuiter narrata. Adhibita à Cæsarianis & Gallis studia, quod Pontifex illi sufficiat Lotharingum. Eleæti actutum à Pontifice noui Legati Moronius & Navagerus. Molesia idcirco in Lotharingo comperta à Gualterio Româ reuerso. Cædes Guisij Ducis constanter à Cardinali fratre tolerata. Obitus ac laudes Seripandi Cardinalis. Armorum strepitus Tridenti inter Varias nationes, labore plurimo sedatus. Litteræ Cæsaris ad Pontificem, & ad Legatos, cum quatuor postulatis. Altera epistola eiusdem arcanò data Pontifici. Huius responso ad utramque Iter Lotharingi Venetias,

X x 3

netias,

toriæ  
cili Trid.  
PS III.

1117

7

netias, & postea Vicecomitis, cum illo acturi de Pontificis Cæsarisque aduentu Dononiam, quem Lotharingus proposuerat. Musottus, qui Seripando à Secretis erat, adscitus in idem munus Lotharingo, & ad Pontificem missus. Oliuo post mortem Mantuani cuncta præterita munia à Præsidibus confirmata. Habitum apud Granatensem cœtus Cæsarianorum de vſu Calicis, & auctoritate Pontificis. Pax Gallie cum Hugonottis, noxia religione. Varij ea de re sensus Lotharingi. Oratori Militiæ S. Ioannis Baptiste difficultas Tridenti de loco obiecta. Aloysius Auila Orator Philippi Regis Romæ: eius mandata & responsa illi reddita. Exceptum Moronus Legatus Tridenti, qui statim ad Cæsarem proficiuit. Lunensis Comitis aduentus. Congressus inter eos de particula, Proponentibus Legatis. Res agitatæ de Oratorum emulatōne, tum Tridenti, tum cum Regina matre in Gallia, tum cum Cæsare. Facilitas & concordia in hoc à Gallis simulata, & cur. Reditus Lotharingi Venetijs: eius querela & affectiones. Homo ab eo missus ad Cæsarem: tradita huic mandata, & responsio reddita. Nauigerus Legatus improuisò & priuatim ingressus, & qua de causa. Inter hunc & Lotharingum animorum coniunctio ex Pontifici voluntate. Noua Sessionis prorogatio usque ad vigesimam Maii & casus hac in re Legatis molestus. Mors Petri Soti, eiusque ad Pontificem litteræ id temporis scriptæ. Moronus humaniter exceptus Oeniponti. Mandata illi tradita, & quæ idem egerit scripto & verbo super cunctis capitibus litterarum Ferdinandi ad Pontificem Difficultas perardua in tribus articulis, sed à Morone tandem diluta, datis ad Cæsarem litteris post abeundi veniam, & acceptis responsis. Reditus Musotti Româ, & Lotharingis satisfactio. Pie litteræ Scotorum Reginæ, delatae conuentui ab illius patruo. Huius oratio. Synodi responsio. Liberæ notabilesque sententie in cœtu dictæ à Lotharingo & Granensi, de Episcopis, cardinalibus, ac de alijs argumentis. Graues difficultates Tridenti ac Romæ, ob controuersiam inter duorum Regum Oratores, in Concilio tandem superatae quod spectabat ad Conuentus. Sententia

Laz.

Lancianensi prolata, & hinc excitata postulatio in Procuratori-  
bus Ecclesiasticorum de ipsorum iure ad ferendum in Concilio  
suffragium, Legatis in ancipi ob eam pendentibus. Moroni redi-  
tus. Nova prorogatio concors ad 15. Iunij.

C A P V T P R I M V M.

Aduentus Cæsaris Oenipontem. Commendonus ad eum missus à Le-  
gatis. Articuli de Matrimonio Theologis minoribus traditi.  
Altercatio inter ipsos, coorta ex titulo Nationum, agrè composita.  
Nova Gallorum postulata Legatis exhibita.

**P**OSTQVAM Cæsar Augustana Comitia feliciter persol-  
uit, certus iam Cælarei diadematis filio imponendi,  
Oenipontem se contulit, centum passuum millibus  
distans Tridento; vnde licebat ipsi Synodo assistere  
quantum satis erat, vt de illius rebus edoceretur, ac  
tempori mandata mitteret, absque incommodo adeundi discrimi-  
nis ob solemniores presentiam maiestatis. Quinque Ecclesiarum  
Antistes, vbi primum resciuit Cæsarem accedere, nimirum 26. Ja-  
nuarij <sup>a</sup>, Tridento profectus est Oenipontem, quod reliquos omnes  
in ipso edocendo præuerteret. Præuidebatur Lotharingus quo-  
que siue sponte suâ, siue Reginæ mandato illum inuisurus <sup>b</sup>, tum  
ad obsequium, tum ad negotium. Quamobrem Legati pariter sta-  
tuerunt hominem mittere, qui per eam speciem reuerentia, tanto  
Principi persoluendæ, ipsorum causam re ipsâ sustineret. Et quo-  
nam Olîj Cardinalis accessus, à Mantuano sicuti narratum est  
designatus, iter fuisse maioris lentiorisque nauigij, decreuerunt ce-  
leriorem cymbulam interim mittere; animumque ad Commendo-  
num conuerterunt, qui Venetijs morabatur <sup>c</sup>, vir cordatus & offi-  
ciosus, iam notus & acceptus Cæsari, & experientissimus Germa-  
niz. Quare illum Româ comprobante <sup>d</sup> reuocatum, eò profici-  
iuerunt, vt vñ cum Delfino Nuntio niteretur à mente Cæsaris  
arcere sinistras opiniones, quas alij studerent in illum inducere.  
Erat liquidem Ferdinandus ex eo <sup>e</sup> hominum genere, qui candi-  
dissimi in se ipsis, tantumdem candoris in alijs arbitrantur: hinc  
interdum quia nimium credebat probitatis, nimium credebat im-  
probitatis, dum veracem existimans quemcumque loquentem au-  
diebat:

- <sup>a</sup> Litteræ  
Fusar. rij ad  
Moronum,
- <sup>b</sup> 28. Ian. &  
Kuprum Vi-  
cecomitis  
ad Borrom.
- <sup>c</sup> Febr. 1563
- <sup>d</sup> Extat in  
mandatis  
Mantuanis  
Vicecomiti  
datis, & in  
litteris Lega-  
torum ad  
Borrom.
- <sup>e</sup> Feb. 1563.
- <sup>f</sup> Vita Com-  
mendoni à  
Gratiano  
Episc Amel-  
liens scripta.
- <sup>g</sup> Litteræ Le-  
gatorum ad  
Borrom.
- <sup>h</sup> 19 Ian. &  
dua 28. &  
altera 2. Feb.
- <sup>i</sup> 1563.
- <sup>j</sup> Vita prædi-  
cta.